Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25968
Copyright: Admont, Benediktinerstift

rum actio est ista uox peccatoris. Et est quasi dicat. Tu deus salutis meç
tu saluasti me tu adiuuisti me. et idcirco die ac nocte clama
bo coram te. die id est leuis et prosperis. nocte id est in aduersis semper te
laudabo et magnificabo. ad te solum respiciens. coram te clama
bo. Ad hec offertorium congruit. in quo iterum in laudem prorumpit dicens.
Exaltabo te domine quoniam suscepisti me. nec delectasti inimicos meos
super me. inimicos dico inuisibiles hostes meos. non delectasti in
perditione mea. Et bene post ista omnia in fine misse fit ut ita di
cam quedam exhortatio in communione. quomodo ille qui tali ordine
progreditur. uitam suam coram domino debeat disponere. Honora dominum
de tua substantia. Uidetur mihi quod substantia ista corpus et animam
nostram possit designare. in primiciis frugum custodia sensuum.
in horreis. quinque sensus nostri. uisus. auditus. gustus. odoratus et tactus.
In qua substantia nostra dominum fideliter honoramus. quando pro eius amo
re bonis operibus insudamus. et ei primicias frugum nostrarum damus.
dum ante omnia custodiam sensuum exteriorum. et internarum cogita
tionum mundiciam habere studemus. ut uidelicet quando primum
nocte et mane surrexerimus. ipse solus primitus cogitetur. inuo
cetur. suscipiatur. et ita uere primiciis nostris honorasse dominum uidebimur.
Sed et alio modo primiciis nostris eum honoramus. si nullis terrenis actionibus
uel operibus antea insistimus. donec debitum et consuetum famulatum ei
exhibuerimus. quia tunc omni die eo adiuuante maioris prosperitatis
salus et gratia ad uniuersa que agenda sunt occurrit. Horrea quoque nostra
implentur saturitate. quando totis sensibus nostris ita doctrinam dei susci
pimus. ut exinde saturati. pinguedinem et fructum animabus nostris
acquiramus. Quisquis enim uerbum dei audit. et sine fructu audit. ille utique
non saturatur. nec inde pinguescit. sed quasi ieiunus fame tabescit.
Et uino torcularia redundabunt. Per torcularia. corda nostra
accipe. in uino dulcedinem dei. Impletis horreis nostris satu
ritate. redundabunt torcularia nostra uino. id est corda